



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus


Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XIX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

fericordiam sentiret. Hoc exemplum Christianis objiciens Chrysoſt. hom. 35. in Joan. inquit: *Pudeat nos, & incredibilem ſocordiam noſtram deploremus: Triginta octo annos ille exſpectaverat continuos; nec ejus impletum eſt deſiderium, nec id culpâ aut negligentia ejus factum eſt; nec propterea deſperavit. Nos autem ſi vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepeſcimus.*



FASCICULUS XIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Deſumpta ex cap. 33. & 34. lib. Exodi, in quibus deſcribitur data venia perduellibus, pœnitentiam agentibus, Moysiſ preces, & promiſſiones divina ei factæ. Moysiſ reditus in Montem nullò comitante. Legum receptio.

N. 116. *Considera I.* **T**Antam eſſe Bonitatem & Clementiam Dei; ut majora sæpè Beneficia peccatoribus impertiatur poſt lapſum, per pœnitentiam ad ſe denuò reverſis, quàm poſſederint antè. Enim verò perduellibus Iſraëlitis promittit v. 2. citati cap. miſſurum ſe eis præcurſorem Angelum, qui eos ducat in terram melle & lacte fluentem. S. Auguſt. in Pſal. 70. ſcribens aſſerit: *Conſiderans vitam meam præteritam video, quid mihi debebatur, & quid acceperim ab eo, quod mihi debebatur. Debebat mihi pœna, ſed reddita eſt mihi gratia, debebat Gehenna, ſed data eſt mihi vita æterna.* Exeuntes Phariſæi, ut refert Matth. c. 12. Conſilium inière adverſus Jeſum, quomodò eum perderent? quid hoſtilibus hiſce machinis ultor opponit Salvator? nunquid fulmina pluit ſuper Judæam? hem! reſpondet Evangeliſta: *Secuti ſunt eum multi, & curavit omnes.* Reponens non tantùm bona, ſed & optima pro malis, quæ in ſacratum ejus Corpus machinati fuerant Iſraëlitæ; quare Jeremias Propheta deſcriptis priùs Populi peccatis ſubjungit nomine Dei cap. 3. *Non deſinam benefacere. Quòd Juſtos Deus diligit, non miror; Quia Recti diligunt illum.* Quod

Quod colloquatur Justis, quasi homo ad amicum suum v. 11. cit. c. 33. Non miror, quia illi cum Moyse eloquia ejus ubique gentium prædicant, & extollunt. Quòd Justus det requiem v. 14. cap. cit. Non miror: quia illi sine requie cum Moyse vivunt, donec inveniant locum Domino. Quòd justii inveniant gratiam coram Domino v. 17. cit. cap. Non miror: quia injuriantibus se amore Dei cum Moyse largiuntur veniam & gratiam. Quòd demum justis ostendat omne bonum v. 19. cit. cap. Non miror, quia illi nil magis cum Moyse in vita fugiunt, quam malum culpæ; Sed quòd Joanne teste c. 3. Deus sic dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, summè miror; quid enim mundus nisi Hostis Dei, proditor Christi, persecutor Justorum, contemptor divinarum legum, Justitiæ omnisque virtutis osor, & ut paucis omnia absolvam, quid: nisi totus in maligno positus? Et tamen sic eum dilexit, ut filium suum daret, & quod majori admiratione dignum, ut daret illum à juventute in laboribus versatum, proditum à discipulo, captum à Judæis, flagellatum, spinis coronatum, & in infami ligno suspensum. Si Deus dedisset illum ut Regem Gentium, ut Principem Populorum id magnæ exstitisset gratiæ indicium: tantam tamen admirationem non mereretur; naturale namque est divinæ Bonitati, creaturis communicari: sed dari illum non nisi ut novissimum virorum, despectum, innumeris contumeliis affectum, extrema tormenta passum, & id in solius hominis utilitatem, quis satis admiretur? grandis illa fuit in Neronem Agrippinæ matris amor, quòd audiens ab ariolis, regnaturum quidem Neronem, sed se vitam perditurum, responderit. *Occidat, modo imperet.* Erat illa Mater, Nero filius, quos inter excessus amoris si quandoque detur, naturæ limites non excedit. Sed Deum immortalem pro creatura mortali, & hac quidem divinis legibus tam rebellem, pro acceptis gratiis tam ingrata morti, morte non simpliciter, sed turpissimè, quis non dixerit amoris ac Clementiæ esse excessum inexplicabilem, intuitu cujus in lacrymas non resolvatur? & in mutuum amorem ac obsequium se vicissim non libentissimè impendat?

Considera 2. Quòd licet erga Populum, à strage residuum, clementem se exhibuerit Deus, ut ei promiserit Angelum præcursorem: tamen nullum ex illis (de peccato quidem contritis) dignum duxerit, qui cum Moyse ascenderet sacrum Montem: quia videbatur de

præterito peccato in illis aliquid maculæ remanere, vî cuius excludebat eos à propinquiori accessu, quò adhuc fuerant indigni. Non disparis conditionis sunt defunctorum quorundam Christianorum animæ, quæ licet de peccatis suis egerint pœnitentiam, residuas tamen ad æternitatem detulerunt maculas, vî quarum ab accessu divini montis, cui cœlestis Jerosolyma insidet, ad tempus suspenduntur, piacularibûs flammis emundandæ. Dum enim quærit regius vates: *Quis ascendet in montem Domini?* respondet: *Innocens manibus & mundò corde &c.* Cum autem teste S. Vincentiò Ferrer. Serm. 3. Dom. adventûs: Pœna purgatorii, quantum ad pœnam Damni & Sensûs excedat omnem pœnam hujus vitæ. O quàm magna commiseratione dignæ sunt, tantis pœnis affectæ animæ, & quàm studiosè eisdem succurrendum? de illis, nullum auxilium sibi ferre valentibus meritò dixerim illud Centurionis: *Puer meus jacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.* Purgantes animas sine injuria *pueros* voco propter innocentiam, quâ sunt à culpa liberi, etsi non liberi sint à pœna. Jacent in lecto, ipsâ Laurentii craticulâ, aut Agathæ rogo sexcentiès crudeliôrî. Jacent in domo horroris & vastæ solitudinis, in qua nil est audire, nisi geinitus & suspiria, nil videre nisi tormenta & cruciatus, nil tangere, nisi rogos & ignes, nil gustare nisi flammæ & sulphur. In domo jacent, in qua jacere se crediderat Hussiticus Princeps, quando percussus à Dæmone, ab amicis derelictus, ab omni morborum genere turmatim invasus, exclamavit: *Infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.* O domum luctuosissimam & nullis sat describendam verbis! & quot miseræ caput, jacent defunctorum animæ in hac domo paralyticæ, omnî membrorum usu, nempe omnî merendî facultate, omnî se ipsas adjuvandi auxiliò penitè destitutæ, solùm pendentes à nostra ope, quàm avidissimè expectant. Et quàm malè torqueantur luculenter docent jam adducta Vincentii verba, tormentis ex multiplici fonte manantibus. Unum ex his provenit ab igne, cujus tanta est acrimonia, ut in comparatione illius subtilem illam fulguris flammam, quæ tamen in momento durissima quæque consumit experienciâ teste, Rorem dixeris. Beda noster in Psal. 37. v. 1. scribens inquit: *Nec immeritò tantùm timet (David) hanc correptionem (purgatorii ignes) quia attendit eam esse graviolem, quàm quidquid unquam passi sunt latrones vel Sancti Martyres.* Auget hanc pœnam temporis diurnitas, quæ in aliquibus ad aliquot annos extenditur, ratio

ne

ne cuius tot anniversaria celebrat Ecclesia. Auget illam continuatio in eodem statu, illò medicorum Principiò nullum hìc reperiente locum: *Dolores quò magis intensi, eò minus diuturni.* Aliud tormentum, & quod priori longè acerbius est, provenit ex carentia visionis beatificæ, quam quò ardentius desiderant, eò dolorosius ferunt, sibi denegari eò tempore, quò fruendum illà erat. Augetur tormentum isthoc ex consideratione tot mediorem, quibùs illam consequi facilimum extitisset. Augetur ex consideratione denegatæ sibi occasionis etiam minimum assequendi meritum, minuendi pœnam, aut abbreviandi præfixum tempus. Augetur demum maximè ex ipsa conformitate voluntatis, quam habent cum Deo puniente, quò enim magis summo bono placere desiderant, eò gravius sentiunt, se tales neutiquam esse quales avidissimè cuperent esse. Quis quæso mortalium hæc tormenta, aliis silentio involutis, vel obiter tantum perpendens, non summa tangatur cõmiseratione? quis non moveatur ad ferenda eis auxilia? Moyses Israëlitis propitium redditurus Deum v. 8. & 9. cit. cap. procidit in genua, fundens calidissimas preces. Idem agendum Christiane Lector pro obtinenda libertate defunctorum. *Primogenitum asini redimes ove,* imperat hìc Deus Moyse v. 20. Tu pariter pro anima proximi, instar asini reliquias peccatorum suorum portantis, quibùs onerata cecidit in puteum purgantium flammaram, offer *ovem* illam, quæ physicè mactata est in cruce, & mysticè mactatur in Altari, & *salvabitur.* Nam teste Zacharià c. 9. *In sanguine Testamenti emisisti vinctos de lacu.* Sanguis Testamenti est ipse sanguis agni Eucharistici. Quem S. Bernardus quondam celebrandò pro defunctis offerens, vidit in raptu scalam à terra usque in Cœlum surgentem, quam Angelis comitantibus salvatæ animæ ascendebant. Paulus Arigni de Roma nova.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 35. & 36. lib. Exodi, in quibus describitur Liberalitas Israelitarum post acceptam legem de faciendis oblationibus. Structura Aria, Propitiatorii Candelabri &c.

Considera 1. **Q**UAM liberales erga Deum fuerint Israëlita; nam o. N. 118.
 mnia ad ejus Cultum requisita, sive ea constiterint aurò vel argentò, pretiosis gemmis vel purpurâ, mente promptissimâ (ut loquitur

quitur textus cit. cap. v. 35.) *Obtulerunt.* Ipsæ etiam mulieres, ornatus sui alias studiosissimæ, armillas & inaures detraxere, tantaque omnium liberalitas secuta est, ut plus offerent, quam videretur exigendum. Hinc Moyses præconis voce proclamari iussit: *nec vir, nec mulier quidquam offerat in opere Sanctuarii.* Vide nunc Christiane Lector: quomodo hæc pia Israëlitarum liberalitas confundat impiam Christianorum Parsimoniam, quibus non est opus Præcone, munera inhibente, sed rapinas despoliationesque vetante, vel saltem dictam parsimoniam acri reprehensione culpante. De domorum suarum ornatu summè solliciti, adornant, implent, accommodant, provident, ut omnia quaquaversum niteant. Sordeant interim Altaria, vestes sacræ sint laceræ, parietes Templorum sint scabie affecti, ipsis perinde est. Fateri coguntur cum regio Vate 1. Paralip. 17. *Ecce ego habito in domo cedrina, Arca autem Domini sub pellibus.* Paucissimi tamen sunt, qui cum eo hæc cogitatione permoti unquam cogitent, de cultu Dei per suas opes promovendo. Quin imò plures reperire est, qui laudabilem quorundam liberalitatem cernentes, obganniunt cum perditissimo Juda dicentes: *ut quid perditio hæc?* horum Inferno dignas voces compescere nititur imperatoria autoritas Ottonis II. qui in Diplom. S. Vincentii Monasterio dato asserit: *Si Ecclesiarum Dei curam habere studuerimus, procul dubio imperium nostrum stabile erit; insuper & vitam æternam promereri credimus.* S. Otto Episcopus Bambergensis, postquam quindecim Cœnobia, & quinque Monachorum seminaria munificæ liberalitate extruxisset, & dotasset, exclamare auditus est: se quò plura largiretur Deo, eò ditiores evadere. Basilius & Eudoxia conjuges pro erecto ad honorem Deiparæ Templo, Filium impetrarunt Eudocimum, ut taceam innumeras penè victorias, quas Imperatores & Reges Christiani obtinere per vota de ædificandis Templis vel restaurandis eorundem ornatibus facta.

N.119. *Considera 2.* Deum præcipiendò: ut tam *candelabra*, quam *emundatoria* fierent ex auro purissimo, voluisse: ut Prælati, qui tum ad illuminandos subditos, tum ad purgandos eorum errores assumpti sunt, eà fulgeant puritate morum atque splendore virtutum, ut quæ in aliis purganda invenerint, in se ipsis non inveniant; atque hinc Deus Pharaoni præfecturus Moysen (ut sæpius mentio jam facta est) non Ducem aut Præceptorem, sed Deum ejus vocavit, quasi per hoc inuens: Moysen nihil humanum sapere debere, & in se deferre culpan-

pandum, qui Pharaoni dominetur, & ejus defectus corrigat. *Debet cunctos præcellere excellentiâ, virtute, & claritate morum*, ait S. Thomas Villanovan. Dom. 19. Pentecost. *Qui omnes excellit Dignitate, & quanto eminentior Dignitate, tanto debet esse sublimior virtute & claritate morum, & quodammodo plus quam homo debet esse, qui præest hominibus.* Debet primò subditos præire zelò Pietatis & Religionis in Deum: hoc ipsum insinuâsse videtur Deus, quando Deut. 17. jussit: Regem describere sibi Deuteronomium, & legere illud omnibus diebus vitæ, quò doceatur venerari Deum, servare exactissimè ejus Præcepta, ejus cultum ubique locorum promovere Hinc est: quòd Nathan tam duris in Davidem invehatur verbis ob adulterium ab eo commissum, exprobans ei regiam Dignitatem, quâ ab eo fuerat donatus, & vî cujus longè studiosius ei observandæ fuissent leges divinæ, quibus tamen ille tantæ Dignitatis oblitus, tantæ gratiæ immemor, existisset injurius. *Ego unkte in Regem super Israël*, inquit Propheta ex ore Dei, 2. Reg. 12. Et tamen egisti illud, quod nec de infimo expectâssem subdito. Ut corpora inferiora motui cœlestium sphærarum propter naturæ nobilitatem parent: ita inferiores sibi Præpositis libenter obtemperant, quando eos singularibûs virtutum radiis, ac Pietate in Deum micare cernunt. Quis nescit: Carolum Quintum illud Imperatorum Miraculum tantâ apud subditos valuisse autoritate, ut ad omnia Imperia haberet promptissimos? & hæc non tam ex bellandi fortuna, quàm Deum colendi Industria ortum traxerat. Unicum hîc lubeat attexere imperatoris Pietatis specimen, ex quo cœu ex ungue Leo cognoscantur alia. Agebantur Augustæ Vindelicorum comitia, instituebatur solemnis Processio per plateas & compita civitatis, cui ille non equo aut currui insidens, non capite coronâ regiâ recto, sed pedester & capite penitus nudatò summa omnium admiratione interfuit. Sed quid vetera revoco exempla, quando in promptu sunt nova? adorat nunc Romanum Imperium Carolus alterum, ordine Sextum, adorat inquam, & se ad omnia ejus Imperia offert paratissimum, insigni ejus in Deum Pietate cœu Magnete tractum. Pietate inquam tractum insigni, quàm etiam muti lapides Templorum in Catalonia, Wiennæ in Austria deprædicant. Secunda Prælati aut personæ Imperantis virtus sit Prudentia, quæ jubet, res omnes nonnisi maturò judiciò, & adhibito virorum peritorum consiliò agi: præsertim si quæ majoris momenti occurrant. Hoc exactissimè observaturus Severus

rus

rus Imperator, nullam sanciebat legem, quam antea non dedisset Jurium peritissimis ponderandam. Hoc ipsum imperantibus imperat Deus Proverb. 3. dicens: *Ne imitaris prudentia tua, & infra: ne sis sapiens apud te metipsum*, ut enim ad res obscuras & clarè cernendas adhibere oportet perspicilia, ita ad decernendas quæstiones altioris momenti opus est operâ Consiliariorum. Tertia Virtus in Prælato requisita Fortitudo dicitur, quam claris insinuat verbis Moyfi locutus Jethro Exodi 18. *Provide de omni plebe viros potentes*. Tales, qui nec adversis frangantur, neque secundis extollantur, nec deterreantur subditorum querelis, nec eorum adulationibus flectantur, ut vel latum unguem ab æquo rectoque deflectant. Vitia, legibus repugnentia sine ullo personarum respectu culpent, & vindicent, Habeant cum Ferdinando Cæsare sibi familiare illud adagium: *Fiat Justitia, & pereat mundus*.

Hactenùs usurpata brevitatis longiorem me esse non patitur: dicerem alias: Prælatos præter attactas virtutes, decere Humilitatem, qualem ab illis exigit Deus Deuteron. 17. *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos*. Dicerem: vel maximè illis colendam esse mansuetudinem & affabilitatem, qua faciles subditis aditus & aures præbeant, hortante Vespasianò: qui dicere consueverat Suetoniò teste: non oportere quemquam à Cæsare tristem discedere. Sed quòd nec oporteat, ipsum cum grandi formidine accedere, docet S. Joannes Eleemosinarius Episcopus Alexandrinus qui ut refert Baronius 610. assererat: *Si nobis, qui homines sumus, licet ad Deum accedere absque ullo intercessore: quomodo illud non etiam liceat conservis nostris ad nos?*

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus, quæ reperiuntur in libro Exodi, & in quibus describitur Textura Vestium, Erectio Tabernaculi, & hæc perfectâ Nubis & Gloria divina Apparitio.

N. 120. Considera 1. **M** Alogranata, quæ sunt Sanctioris vitæ symbola, in nulla parte vestimenti Sacerdotalis, imò cujuslibet Christiani aptius locari, quàm in infima: ut, dum subtrahuntur hominum conspectui, per humilitatem in suo vigore valoreque coram divinis conservantur oculis. Esther non tam speciosa, quàm virtuosa mulier cum sese ad regales usque demitteret abjiceretque pedes, adeò

adeò regium inflexit animum, ut omnibus ejus petitis quàm promptissime annueret. Joannes cum sanctitatem suam, licet altissimam adeò nihili haberet, ut se solvendis Christi calceamentis aestimaret indignum, meruit audire divino ore, quòd illò non sit major inter natos mulierum. Maria Virgo, cum excellentiam virtutum suarum, quàm ipsis Angelis erat stupori summo, tegere niteretur vilì ancillulæ amictu, Verbi æterni mater & cœlestium spirituum Regina compellata est. Quando Abraham, vir nunquam sat laudatæ virtutis, auditus est dicere Genes. 18. *Ego sum pulvis & cinis*, adeò divinæ Justitiæ rigorem mitigavit, ut si inter tot mille Sodomitas tantum quinquaginta, quin imò decem tantummodò invenire datum esset, tota civitas mansisset à flammis ultricibus secura. Sanè sicut hauriens aquam, eò puriorem haurit, quò profundior fuerit puteus: ita Justus eò majorem consequitur gratiam, crescitque majoribus meritis, quò profundior ejus fuerit humilitas. Ad hanc virtutem eò magis aestimandam, ut nos induceret Deus, ipse se humiliare non veretur, dum S. Scripturâ teste cap. 40. v. 32. inclinans cœlos descendit, & suâ gloriâ implevit Tabernaculum Domini. *Quid ergo superbis homo?* ait Venerab. Beda in Joan. c. 6. *Deus propter te humilis factus est. Puderet te sortassis imitari humilem hominem: saltem imitare humilem Deum. Quid ergo aestimari, quid laudari affectas, si virtutem aliquam possideas, de qua solius Dei est judicare: an vera sit, nec ne? quid instar Gallinæ ovum glocitandò prodentis, bonum, si quod fecisti opus, jactitas? quid cum pavone pennas explicas, non respiciens ad deterrimos pedes plurium culparum, quibus abundas? sicut puella nobilis & dives, si unò pede claudicet, aut oculò unò orbata sit, non tam attendit ad genus ac dotem suam, quàm ad defectum, quò laborat, & intuitu cujus omnem exiit superbiam; ita si quid in te repereris laude dignum, cogita: graviores adhuc reperiri culpas, qui laudem hanc vituperiis longè superent. ô quàm multorum pietatem nunc deprædicat mundus, qui quondam cum Doctore Parisiensi exclamabunt: *Justò Dei judicò damnatus sùs. Quàm multorum extollit humilitatem, qui cum superbo Lucifero quondam ad ima devolventur Tartara. Quàm multorum admiratur liberalitatem, qui gratiâ divinâ, & donis omnibus spoliati exclamabunt cum divite epulone: *Quantum crucior in hac flamma!* Quàm multas nunc vocat Virgines, quas quondam videbit meretrices, cum Dalila æternis ignibus cremandas. Considera tantum lapsus tuos**

X

quo-

quotidianos, ineptias, inconstantias, vanitates. Vide: quomodo etiam post tot poenitentiae remedia, & concepta proposita non desinas more canum, ad turpem redire vomitum? cerne: quot merendi occasiones negligas? quot Dei & Angeli custodis inspirationes repellas? quot oblatas gratias nihili ducas? & in virtutum studio tot jam annis versatus, nec parum etiam profeceris? si haec ad trutinam posita, humilitatem tibi non persuadeant, lapis es, non homo.

N. 121. *Considera* 2. Gloriam Dei non antea implēse Tabernaculum Testimonii, antequam fuerit ex integro perfectum. Videtur id ea de causa factum, ut demonstret Deus: Quanti aestimet boni operis consumationem, quā non datā, opus displiceat Deo; Hinc Salvator non antea auditus est dicere: Lucā 22. *Dispono vobis Regnum*, priusquam dixisset: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Marci 8. legitur: copiosam hominum turbam pedestri itinere Christum secutam esse: nec secutam tantummodo unā die, sed integro triduo, nullis cibis refectam, donec miraculosō conviviō omnium famem sedaverit Christus. Erat convivium hoc figura caelestium epularum, quas Christus non amplius in deserto, sed in supremo caelorum Palatio suis adornat sequacibus: has autem non gustabunt, nisi quos hic in fame & siti ferenda constantes fuerit expertus. *Tolle perseverantiam*, ait S. Bernardus Epist. 119. *nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo*. Quid lucri exspectet pictor, qui tabulam à se inceptam non perfecerit? quid prodest magnā arte exstructa fabrica, cui tectum non imponitur? quid juvat cursorem, multum viā confecisse, si antequam ad metam pervenerit, consistat? quid lætæ copiosæque conferunt segetes, si maturitatem non assequantur? quid fertiles vineæ, si racemi degenerent ante vindemiam? quid arborum numerosi flores, si ad ventum vel nebulam omnes defluant? cunctæ quidem virtutes properant ad metam, soli tamen Perseverantiæ debetur bravium, quia hæc sola metam attingit. Hinc de illa asserit S. Laurentius Justin. de Lig. vitæ c. 2. *Ipsa est mediatrix ad Premium, sola aternitati hominem reddit, dicente Dominō, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, &c.* Non diffiteor, perquam laude dignum esse, gerere animum, ad virtutis pietatisque formam recipiendam mollem ac cereum, at magis vituperabile est: cereum esse in retinenda virtute, quam quis semel receperit. *Vae illis*, ait Eccles. 2. *qui perdiderunt sustinentiam*. In quæ Verba S. Greg. *Sustinentiam quidem perdunt, qui bona inchoant, non consumant, quibus*
nimi-

nimirum va esse dicitur, quia non solum incepti laboris mercedem perdunt, sed & Apostotatus sui poena feriuntur; quod non infrequentes multorum virorum virtute florentium lapsus & aeterni interitus comprobant. o quantam divinarum litterarum peritiã, quantam virtutum variarum splendore universam olim illustraverat Ecclesiam Origines? quem ceu Luciferum merito venerabantur omnes Christicolæ: sed pro dolor! quam turpiter cecidit hic Lucifer de caelo, quia sustinentiam perdidit. Quantam olim pietatis doctrinaeque famam longè lateque sibi comparaverat Osius Episcopus: adeo, ut Augustus ipse pronam quamdam pietate illum Patrem vocitaret, & se ei quasi Magistro Discipulum traderet in omnibus regendum. Sed o miserandam humani generis inconstantiam! tam firma Orthodoxae fidei columna, quia & ipsa sustinentiam perdidit, collapsa est, unam secum trahens immanem animarum ruinam. Quid dicam de Macario? quem constat, tam altum virtutis fastigium conscendisse, ut verae Religionis zelo inflammatus, corpus suum objiceret horrendis torquendum tormentis, quibus etiam admirandam patientiam superatis, cum superviveret, in carcerem coniectus est. Sed o luctuosam viri, inter acerbissimos etiam cruciatus constantissimi inconstantiam! quem equlei & suspendia a cepto virtutis tramite remove non poterant, removit una mulier: quem ceu ferreum & adamantinum emollire non poterant verba & verbera carnificum, mulieris blanditiam emolliere. Ministrabat ei in carcere ad speciem honesta mulier, cum qua familiarior factus, sustinentiam perdidit, lapsus in stuprum. Christiane Lector, si haec in viridi, in te arido quid fiet? si tam labilis res est cum ipsis cedris, quid tecum arundine continget? age sis, subministrabo tibi pauca remedia, quibus usus perseverantiam obtinebis. Primum ex his voco diffidentiam tui: elata enim de obtentis aliquando virtutibus fiducia obicem ponit divinae gratiae, sine qua diuturna in virtutum studio constantia non dabitur. Saul, cum esset parvulus in oculis suis, Regnum & coronam est assecutus: verum ab humilitate deflectens Regnum amisit, perdidit coronam. S. August. Soliloq. c. 25. approbat remedium meum, Deum his allocutus verbis: *Cognosco nunc, quia illuminasti me, quia quod magis credidi posse per me, minus semper potui: dicebam enim hoc faciam, illud perficiam; nec hoc nec illud faciebam. Aderat voluntas, non aderat facultas. Aderat facultas non aderat voluntas, quoniam de meis viribus confidebam.* Alterum, quod tibi suadeo remedium, Dei timorem nomino, hunc qui possidet,

det, sensus passionesque suas, ne limites exeat, continuo refrenat, peccandi occasiones etiam remotas fugit, contra hostiles insultus qua-
quaversum se armat, pro divina ope nunquam non supplicat. Verbò,
dicam cum aureo Oratore Homil. 15. ad pop. dicente: *Viventem cum
timore impossibile est peccare.* His duobus utere remediis, & perseverans
usque in finem salvus eris.



FASCICULUS XX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Levitici, in quibus describitur Ritus & quali-
tas Holocausti de armentis, pecoribus & avibus. Lex de oblatione simila-
rum, salis & mellis.*

N.122. Considera I.

DEum non absque speciali Notamine imperasse: an-
te omnia membra sibi offerri caput in sacrifican-
dis viventibus v. 8. cit. cap. quid autem morali-
ter loquendò in viventibus caput, nisi bona intentio? enim verò si-
cut caput cæteris præsidet membris, ita intentio cuilibet præsidet operi.
*Quod est corpus sine vita, asserit Richardus à S. Viçt. agens de intern.hom.
Hoc est opus sine bona intentione, & Malachias Propheta cap. 1. ait: Si offe-
ratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? quæ verba expendens S. Hie-
ronym. ea sic explicat: Victima Dei est bonum aliquod opus, uti oratio, Elee-
mosina &c. Verum cæca victima est, si ejus intentio non est simplex, qui offert.
Ut nemo, etsi paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi ipsi
constet, quid pingere intendat; ita nemo opere suo se gratum reddet
Deo, nisi prius disposuerit sacram Idæam, cui se conformare voluerit.
Divinus ille sponsus sponsæ suæ venustatem genis adscribit, dicens:
Cant. 1. Pulchra sunt gena tuæ. Per has autem mellifluus Doctor signi-
ficari æstimat, puritatem & rectitudinem intentionis bonæ: ut enim
ex eleganti genarum forma decor omnis ac venustas derivatur in fa-
ciem, & hinc illæ summò studiò ac summâ industriâ adornantur, ita
omnis*